

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Möring Theodor Wetter

Disputatio De Emptione Et Venditione

Rostochii: Reusnerus, 1603

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728315785>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 26. Feb. 1603

Moringio, Joh.

2
53
44
44
**DISPV TATIO
DE E M P T I O N E
ET VENDITIONE.**

Quam
DEO AVXILIANTE
Consensu & autoritate Ampliss. JCtorum
Ordinis in celeberrima ROSTO-
CHIENS: Academia.

PRÆSIDE
Clarissimo Viro,
DN. JOANNE MORINGIO,
J. V. D.

Publicè defendere conabitur
THEODORVS WETTER
Osnaburgensis VVestph.

Habebitur Disputatio 26. Februarij in Col-
legio JCtorum hora 7. Matutina.

T. D. 282. 53.
ROSTOCHII
Excusa apud Christoph. Reusnerum. Anno 1603.



PRUDENTIBVS, VS V R E -
rum & virtute conspicuis
Viris,

HE N R I C O W E T T E R, INCL Y -
tæ Reipublicæ Osnaburg. Senatori & civi
primario, Patri carissimo,


NEC NON

BARTOLDO ET JODOCO WET -
TER, ejusdem Reipub. civibus primarijs,
patruis dilectissimis,

*Hacce Juridicas positiones debitæ obser -
vantia & amoris ergo*



Theodorus Wetter
Respondens.





THESIS PRIMA.



Mptio venditio est contractus nomina- *Definitio.*
tus, bonæ fidei, ulro citroq; obligato-
rius, consensu constans, quo res pretio
commutantur.

II.

Potestq; ea bifariam contrahi, vel in scriptis, vel *Divisio.*
sine scriptis.

III.

In scriptis emptio celebrari dicitur, quando ex-
pressè actum est, ut non valeat contractus nisi literæ
per omnia sint absolutæ.

IV.

Quo in casu emptio tunc dicitur perfecta, post-
quam scripture in mundum est redacta: Nam ante
illam scripture absolutionem, uterq; contrahen-
tium pœnitere potest.

V.

Sine scriptis emptio celebrata dicitur, cum par-
tes inter se simpliciter contrahunt, nullius scripture
mentione facta.

VI.

Hæc emptio statim atq; de pretio & merce con-
stat, perfecta est, adeò ut in ea pœnitentia locus am-
plius non sit.

VII.

Contrahitur porrò emptio vel pure, vel in diem,
vel sub conditione.

A 2

Pure

VIII.

Purè dicitur contrahi quando simpliciter contrahitur, non adjecto die, vel conditione.

IX.

In diem vero dicitur contrahi, quando dies adiicitur, quo perfici debeat.

X.

Sub conditione contrahitur, cum in alicujus rei eventum emptio differtur: ut sit tibi emptus fundus si Cæsar venerit Noribergam ad comitia.

XI.

Hæc ante conditionis existentiam perfecta non est: si igitur conditio defecerit conventio nulla est.

XII.

Deniq;: contrahitur emptio vel inter præsentes vel inter absentes, veluti per nuncium vel per epistolam.

XIII.

Requisita
emptio
parte utriusq;
& vendi-
tionis. Requisita emptionis tria sunt: Consensus ex parte utriusq; Res ex parte venditoris; Precium ex parte emptoris.

XIV.

De
Consensu. Consensus ille debet esse liber & apertus, non simulatus.

XV.

Quocirca si dissensus vel error in mercis corpore, vel materia deprehendatur, emptio & venditio inanis erit.

XVI.

Quia consensui nihil tam contrarium est, quam error.

XVII.

In corpore erratur, si Ego emo fundum Titianum, Tu vero vendis Cornelianum.

In

XVIII.

In materia est dissensus, cum pro auro æs, pro argento stannum, emo.

XIX.

Si verò fuerit duntaxat erratum in nomine aut qualitate, tunc emptio tenebit.

XX.

Vnde si inauratum quid pro auro veneat, valebit venditio si uterq; erraverit.

XXI.

Premium quod exigimus debet esse certum.

*De
Pretio.*

XXII.

Certam verò pretij quantitatem exprimi & definiri dicimus, non tantum si pecuniae numerus confessim exprimatur: veluti ducentis florenis; sed etiam, si aliqua idonea relatione & demonstratione definiatur; Quæ demonstratio ex præsenti præteritove sumitur, aut ex futuro ducitur.

XXIII.

Ex præsenti præteritove ducitur demonstratio, cum premium refertur ad quantitatem, non expressam quidem verbis, sed quæ certo loco, aut certa persona designatur; Vnde & illa quantitas re postea quæsita certitudinem accipiat: Veluti quanti tu Coloniæ emisti; vel quanti à testatore emptum est.

XXIV.

Ex futuro sumitur demonstratio idonea, cum premium in alterius certæ personæ arbitrium conferatur: Veluti fundus ille tibi emptus sit, quanti cum Titius æstimaverit.

A 3

Qui

X X V.

Qui si nimium rem æstimaverit, recurritur ad arbitrium boni viri.

X X VI.

Si verò planè definire pretium nolit, aut non possit, tunc emptio nulla est.

X X VII.

Non est quoq; valida si contrahentes impersonaliter dixerint, quod elegant tertium à quo pretij nomine concordentur.

X X VIII.

Vel ut à bono viro, (in genere non facta relatio-
ne ad judicem vel certam personam) pretium decla-
retut.

X X IX.

Debet præterea pretium, in pecunia numerata
consistere.

X X X.

Quare non in convenienter hic quæritur: An si ab initio pecunia fuerit promissa, & ex post facto in alia materia cum venditoris consensu, solutio facta, nihilominus venditio remaneat? Remanere censemus.

X X XI.

Pari modo non inutiliter discutietur: An si res detur pro re, interveniente aliqua pecuniæ quantitate emptio vel permutatio sit? Nos ex mente contrahentium id æstimandum arbitramur, vel si id non potest, tunc inspici debere quid plus valeat, pecuniane an res.

X X XII.

De Personis. Inire hunc contractum omnes possunt, qui non
prohi-

prohibentur: Prohibentur autem quidam natura,
quidam lege.

X X X I I I.

Natura ut infantes & furiosi.

X X X I I I I.

Lege non consistit hic contractus: Primò inter
patrem & filium, rebus tamen castrisibus vel qua-
si exceptis.

X X X V.

Secundò, inter magistratum & subditos, hoc
tamen usu antiquatum hodiè esse, notat Cacheranus.

X X X V I.

Tertiò inter solutum & carceri mancipatum.

X X X V I I.

Quartò inter medicum & ægrotum.

X X X V I I I.

Quintò inter tutorem & pupillum, nisi palam
& bona fide fiat, interveniente contutoris autorita-
te, & judicis decreto.

X X X I X.

Rerum omnium quas quis habere possidere, vel ^{de}
persequi potest, venditio recte fit, sive corporales ^{Rebus},
illæ sint, sive incorporales, mobiles vel immobiles,
præsentes, vel absentes, vendentis propriæ, vel alie-
næ, extantes, vel futuræ.

X L.

Res quæ vendi non possunt hæ sunt: Res faciæ,
sanctæ, religiosæ, usibus publicis destinatæ, litigio-
sæ certis tamen quibusdam casibus exceptis, dotales
inæstimatæ, furtivæ, vi possessæ, emphyteuticæ, &
feudales sine domini assensu.

Si

XLI.

Si quis tamen ignorerat has emiat, hactenus
emisse intelligitur; ut exempto consequi possit,
quod sua interest, se deceptum non esse.

XLII.

Vendi præterea non possunt ædes exustæ, equi
mortui, mala venena, nisi adjectione alterius mate-
riæ fiant salubria.

XLIII.

Omnia quoq; armorum genera, ut & esculenta
& poculenta, hostibus advehere & vendere non
licet..

XLIV.

*De
Pericu-
lo & com-
modo rei
venditæ.*

Quod ad periculum & commodum rei in specie
venditæ attinet: tenendum quod emptione perfecta
pureq; contracta, omne commodum & periculum
emptorem regulariter respiciat, etiamsi res tradita
nondum fuerit.

XLV.

Dummodo tamen per vendoris dolum, culpam
latam, aut levem, ea non sit in totum, vel pro parte
perempta, aut deterior reddita.

XLVI.

Tunc enim ad ipsum venditorem periculum rei
venditæ spectat, nihilq; refert an culpa illa sit com-
missa in faciendo, vel in omittendo.

XLVII.

Vt si res minus sit culta, vel cautio damni infecti
non sit petita, vel sua negligentia, furto vel rapina
subtracta, vel igne consumpta.

XLVIII.

In omnibus enim hisce casibus, rei venditæ pe-
riculum, ipsum venditorem respicit. *Quem-*

XLIX.

Quemadmodum & tunc eum respicit, si sub conditione emptio sit contracta: quia tunc ante conditionis existentiam perfecta esse non dicitur.

L.

Proindeq; non immerito commodum & incommodum, ante conditionis eventum existens, ad ipsum pertinebit.

LI.

Quare & tunc periculum venditoris erit, si conventione à quantitate: veluti pondere, numero, aut mensura incipiat, & pro singulis ponderibus, numeris, vel mensuris, singula pretia exprimantur.

LII.

Quia & hæc venditio conditionalis est, perfecta non dicitur, antequam res adpensa, adnumerata, vel admensa fuerit.

LIII.

Annulatur hic contractus varijs modis: Primo Modi qui- per mutuum contrahentium consensum, re adhuc bus an- existente integra: hoc est, si pretium, nondum nullatur numeratum, nec res tradita hic con- sit.

LIV.

Consensus ille resolutorius, an in continentia, an ex intervallo contractui adhibetur, parum interest.

LV.

Re tamen amplius non integra pacto vel consensu nudo, contractus non rescinditur, sed opus est retro rem tradi, ac redhiberi, & pretium restitui.

LVI.

Secundò annullatur hic contractus per voluntatem

B

tatem

tatem unius invita parte altera, si de vi, justo metu,
dolo, cæterisq; causis justissimis probabiliter con-
stiterit.

L VII.

Tertiò per læsionem ultra dimidium: Quod enim venditor tunc beneficio legis 2. C. de rescind: vend: uti possit, dubium nullum habet.

L VIII.

An verò etiām emptori hoc beneficium com-
petat controvertitur? Nos æquè competere pu-
tamus.

L IX.

Succurritur tamen læso alternativè ut aut contra-
ctus, per suppletionem justi pretij ad æqualitatem
reducatur, aut per beneficium d. l. 2. penitus re-
scindatur.

L X.

Iustumq; illud pretium non ex privato affectu &
utilitate, sed ex communi hominum opinione æsti-
mandum.

L XI.

Ita tamen ut etiam consuetudo loci, tempusq;
venditionis non negligatur.

L XII.

Sive res sint mobiles, sive immobiles quæ vendi-
tæ sunt: Nam in utrisq; dictum beneficium obtinere
communiter est receptum.

L XIII.

Quæri hic potest. An locus sit huic beneficio si
expresse & specialiter ei sit renunciatum quod
negamus.

Dubita-

LXIII.

Dubitatur quoq; de eo, an locum habeat in scien-
te fundum valere centum, quem lubens pro quadra-
ginta vendidit? Quod putamus.

L XV.

Quarto annullatur hic contractus per retractum
proximitatis.

L XVI.

Producit hic contractus actiones duas; actio- De
nem empti, & actionem venditi. *actionibus.*

L XVII.

Actio empti datur emptori ejusq; heredi contra De
venditorem ejusve heredem, modo tamen pretium *actione*
empti, sit solutum, vel oblatum, aut fides de eo sit habita.

L XVIII.

Non sufficit autem partem pretij solutam esse,
quamdiu enim unus nummus deficit, tam diu potest
vendor rem venditam loco pignoris retinere,
donec integrè de pretio sibi satisfiat.

L XIX.

Vbi igitur pretium integrè est solutum, aut obla-
tum, aut fides de eo habita, datur hæc actio emptori
contra venditorem.

L XX.

Primò ad hoc, ut rem venditam tradat.

L XXI.

An verò teneatur vendor rem ipsam præcisè
tradere, an verò præstando interesse liberetur con-
trovertitur? Nos putamus cum præcisè ad rei tradi-
tionem obligatum esse si facultatem rei præstandæ
habeat; alias præstando interesse liberari posse.

LXXII.

Secundò datur actio empti ad interesse ex eo capite, quod venditor celavit rei qualitatem seu onus; veluti servitutem quam fundus venditus debet.

LXXIII.

Competit etiam in id quod interest, morbi vitijve nomine: si venditor vitium aut morbum sciens reticuit, & ita emptorem decepit: Si item vitium aut morbum venditor ignorans & rem sanam putans, sanam esse affirmavit.

LXXIV.

Tertiò datur pro evictione rei venditæ, si res vendita per verum dominum evincatur.

LXXV.

Quartò ad repetendas arras, quando emptio partium consensu est dissoluta.

LXXVI.

Notandum tamen arras dupliciter dari posse: uno modo ut sint argumentum & probatio contractus: Altero modo ut partem pretij constituant.

LXXVII.

In posteriori casu recedere à contractu non licet; in priori verò licet.

LXXVIII.

Ita ut si emptor recedat, amittat arras quas dedit.

LXXIX.

Si vero venditor recedit, arras duplicates emptori restituat.

LXXX.

Actio venditi datur venditori ejusq; heredi, post rei venditæ traditionem, adversus emptorem ejusq; heredem.

Primò

*De
actione
vendit.*

LXXXI.

Primò ad hoc , ut pretium rei emptæ numeretur.

LXXXII.

Secundò ad petendas usuras, pretij non soluti.

LXXXIII.

Sicut enim emptor rem emptam cum fructibus petere potest , ita è contrario venditor potest convenire emptorem ut pretium cum usuris post diem traditionis solvat .

LXXXIV.

Nam cum emptor re fruatur, æquissimum est eum usuras pretij venditori pendere.

LXXXV.

Tertiò ad restituendum id, quod plus debito per venditorem est præstitum .

LXXXVI.

Quartò ad rescindendum contractum , quando fundus venditus est sub pacto legis commissoriæ: hoc est, ut nisi intra certum diem pretium solvatur, res sit inempta .

LXXXVII.

Vnde si non fuerit pretium solutum statuto tempore, competit venditori hæc actio ut emptor rem emptam restituat .

LXXXVIII.

Est tamen post hanc legem commissam in arbitrio venditoris, an hanc legem exercere velit; an vero pretium petere .

LXXXIX.

Quia quilibet juri pro le introducto , renunciare potest.

LXXXX.

Alterā tamen via eleēta amplius variare nequit,
quia per electionem jus quæritur emptori, quod
venditoris varietate illi interverti nequit.

LXXXI.

Quintò ad revendendum fundum ex pacto de
retrovendendo in contractu venditionis apposito.

LXXXII.

In disquisitionem autem venit: Anis qui reven-
dere promisit, præcisè compelli possit ad revenden-
dum? Quod putamus si rei emptæ facultatem habeat.

LXXXIII.

Quare nec triginta annis huic redimendi pacto
præscribi posse defendemus, si ita conceptum fuerit
ut semper & quandocumq; venditori redimere
liceat.

LXXXIV.

Idem tamen putantes si simpliciter nullo tempo-
re expresso, hoc pactum conceptum fuerit.

LXXXV.

Si autem venditor apposuerit hoc pactum infra
certum tempus puta decennium, & neq; ipse neq;
heredes ejus, intra illud tempus premium obtulerint,
tunc elapsō decennio cogere emptorem ad reven-
dendum nemo potest.

LXXXVI.

Quia conditio in forma specifica adimpleri
debet.

LXXXVII.

Et facit vulgata Reg: quod promissum est ad
certum tempus, videtur postea denegatum.

Sextò

LXXXVIII.

Sextò competit etiam aëtio venditi ad hoc, ut
res emptas emptor tollat, quæ ultra tempus in con-
tractu nominatum relinquuntur, aut quod sua in-
terest præstet.

LXXXIX.

Septimò ut reddat sumptus & impensas, in rem
venditam post venditionem factas.

C.

Vt si quid in ædificia distracta erogatum sit, aut
in equi ægri curaturam impensum ante traditionem.



LXXXI

Primò ad hoc, ut pretium rei empta
LXXXII.

Secundò ad petendas usuras, pretij
LXXXIII.

Sicut enim emptor rem emptam c
petere potest, ita è contrario vendito
venire emptorem ut pretium cum usu
traditionis solvat.

LXXXIV.

Nam cum emptor re fruatur, æd
cum usuras pretij venditori pendere.

LXXXV.

Tertiò ad restituendum id, quod p
venditorem est præstum.

LXXXVI.

Quartò ad rescindendum contrac
fundus venditus est sub pacto legis
hoc est, ut nisi intra certum diem preti
res sit inempta.

LXXXVII.

Vnde si non fuerit pretium solutu
pore, competit venditori hæc actio u
emptam restituat.

LXXXVIII.

Est tamen post hanc legem comm
trio vendoris, an hanc legem exerc
verò pretium petere.

LXXXIX.

Quia quilibet juri pro le introduct
potest.

B 3

